UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Cvstodia Evcharistiae. Titvlvs XLIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

CAP. II.

Omiſſio baptiſmi non nocet credenti probabiliter ſe eſſe baptizatum.

Innocentius III. a *Epiſcopo Cremonen.*

APoſtolicam *b* ſedem conſulere decreviſti: *& infrà.* Inquiſit. tuæ taliter reſpond. Preſbyterum, quem ſine undâ baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ matris eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveraverit, ab originali peccato *c* ſolutũ, & cœleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum adſerimus inconſtanter. Lege ſuper octavo *d* lib. Auguſt. de civit. Dei, ubi inter cætera legitur: Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus religionis, ſed terminus *e* neceſſitatis excludit. Librum etiam B. Ambroſ. de obitu Valentiniani, idem adſerentis, revolve. Sopitis igitur quæſtionibus doctorum, Patrum ſententias *f* teneas, & in eccleſia tua juges preces, hoſtiasq; Deo *g* offerri jubeas pro Preſbytero memorato.

CAP. III.

Non baptizatus ordinari non poteſt: & ſi de facto ordinetur, non recipit ordinis characterem, licet credebatur baptizatus.

Innocentius III. *Ferrarien. Epiſcopo.*

VEniens *h* ad Apoſtolicam ſedem I. lator præ. nobis expoſuit, quòd cùm ad gradum ſacerdotii aſcendiſſet, comperit tandem, quòd non fuerit *i* ſecundùm formam Evangelii baptizatus, unde nos eum ritè fecimus baptizari. Cumque ſuper ordinibus *k* fuiſſet diutius diſputatum, quidam in eam declinaverunt ſententiam, ut cùm baptiſmus ſit fundamentum omnium ſacramentorum, & ante ſuſceptionem baptiſmi non ſuſcipiatur aliud ſacramentum, quoniam ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt. Porrò econtra videri poſſet. Nam cùm quis non ſolùm per ſacramentum fidei, ſed per fidem etiam ſacramenti, efficiatur procùldubio membrum Chriſti: & qui Chriſtum habet per fidem, etiam ſi baptiſmum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: ſuperædificare poſſe videtur, ſicut ſalutifera opera, ſic & quælibet eccleſiaſtica ſacramenta, cùm illud non ſit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus ſacramentis, quòd baptiſmus ſit fundamentum illorum, quoniam & ſacramentum conjugii & Euchariſtiæ à non baptizatis recipi poteſt: præterea ſacramentum ordinis non ſolùm Pontificalis, ſed ſacerdotalis etiam & levitici ex inſtitutione ſua præceſſit baptiſmum: per *l* quod forſitan videtur, quòd ante baptiſmum hujuſmodi ordines poſſent ritè conferri, maximè his, qui baptizati creduntur: Quia verò in concilio apud Compendium legitur conſtitutum, ſi quis in Preſbyterum ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur: nos circa latorem præſentium in hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt ſequentes, mandamus, quatenus ipſum per ſingulos ordines, uſque ad ſacerdotium promovere procures, & permittas eum in ſacerdotium miniſtrare, quia non intelligitur iteratum quod ambigitur eſſe factum: nec malè de ſacramento ſentitur, cùm illud non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit. Et certè de illo qui natus de Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur.

a *Antonius Aug. att ſcribendum, Innocent. II. ſed Vaticani 3. habent.* b *Ca. eod. tit. in 1. compil.* c *abſolutum.* d *al. ſuper ultavum, al. ſuper VIII.* e *articulus.* f *ſententiam.* g *Domino.* h *Ca. 1. eod. tit. in 3. compil.* i *fuerat.* k *In Cod. Barb. ordinib. coram nobis fuiſſet aliquandiu diſputatum.* l *al. propter quod, &c. forſitan videretur.*

DE CVSTODIA EVCHARISTIAE *a*, chriſmatis, & aliorum ſacramentorum.

TITVLVS XLIV.

CAP. I.

Euchariſtia & chriſma debent fideliter ſub clavibus cuſtodiri, & contra facientes ſunt puniendi.

Innocentius III. *in Concilio generali.*

STatuimus, ut in cunctis eccleſiis chriſma & Euchariſtia, ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur. Ne poſſit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria *b* exercenda. Si verò is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incautè reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur: & ſi per *c* ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori ſubjacet ultioni.

CAP. II.

Supellectilia in eccleſiis poni non debent, niſi neceſſitas urgeat. hoc dicit primò. Eccleſiæ debent ſua vaſa & veſtimenta mundè tenere. hoc ſecundò.

Idem *in eodem* d.

RElinqui noluimus incorrectum, quòd quidam clerici eccleſiæ ſic exponunt ſupellectilibus propriis, & etiam alienis, ut potius domus laicæ, quàm Dei baſilicæ videantur: non conſiderantes, quòd Dominus non ſinebat, ut vas transferretur per templum. Sunt & alii, qui non ſolùm eccleſias dimittunt incultas: verumetiam vaſa miniſterii, & veſtimenta miniſtrorum, ac pallas altaris, nec non ipſa corporalia tam immunda relinquunt, quòd interdum aliquibus ſunt horrori. Quia verò zelus nos comedit domus Dei: firmiter prohibemus, ne hujuſmodi ſupellectilia in eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad eas oporteat haberi *e* refugium, ſic tamen, ut neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur. Præcipimus quoq;, ut oratoria, vaſa, corporalia, & veſtimenta prædicta, munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.

DE RELIQVIIS ET VENERATIONE ſanctorum.

TITVLVS XLV.

CAP. I.

Sine Papa licentia non licet aliquem venerari pro ſancto.

Alexander III.

AVdivimus *f*, quòd quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quendam in potatione & ebrietate occiſum, quaſi ſanctum (more infidelium) venerantur. Cùm vix pro talibus in ebrietatibus peremptis, eccleſia permittat orare. Dicit enim Apoſtolus: Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. Illum ergo non præſumatis de cætero colere: cùm etiam ſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro ſancto abſq; auctoritate Rom. eccl. venerari.

a *De cuſtodia Euchariſtiæ & aliorum ſacramen.* b *nefanda.* c *In Cod. Barbatiæ, ita. & ſi per ejus incuriam aliquod nefarium contigerit, &c.* d *Scil. Concil. Lateranen. ca. 19. & Cap. 1. eodem tit. det enim eccl. in 4. compil.* e *habere.* f *Cap. un. De vener. ſanct. in 3. compil.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN